Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 797
Quelle:
Copyright:

quis ad praecedens *devoluti* respexerit, ita, ut sit *jugo devolvi*, quod nitidissimus *Sautelius* de suis versibus:

Carmina Pieriis sponte voluta jugis.

Notat *Pearsonius* in uno *Cod.* legi: *vigore cesserunt*, e quo adparet τo *re* errore Librarii *iugo* adnexum, quod τῳ *cesserunt* praefigi debebat, atque hinc natum *uigore*, quod ob defectum puncti supra literam *i* evenire pronum fuit.

CCXL. VIII. E. 6.

855 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 143. f. a diversis manibus, partim lineis longis, partim per duas columnas nitide exaratus, rubricisque distinctus varia complectitur, ut hic edisserimus: I. *Incipit Liber Sancti Augustini Episcopi. Ad Quendam Comitem Carissimum Sibi.* Initium: *O mi Frater. Si cupis scire quamuis ego nesciam quam perfectissima* &c. *Augustini* non esse dicemus etiam ad *Cod.* CCXLVIII. quem, si lubet, adi. Tractatus integer. Lectio sat proba.

II. *fol.* 23. praemisso Capitum XV. elencho sequitur: *Admonitio de laude caritatis. et quomodo cunctis uirtutibus preferatur.* In Indice, qui in fronte *Codicis* manu Sec. XV. scriptus comparet, dicitur *Augustini ad monicam sancte memorie eius genitricem*; verum absone, praeterquam enim, quod in *Augustini* editionibus nulla ejus fiat mentio, Autor totus est in contexendis ex *Historia tripartita* et *Vitis PP.* Legendis monasticis. Incipit vero: *Tuę non immemor pię petitionis o carissima mater. tibi ut rogasti scribere studui. noui enim ardorem animi tui erga scripturas diuinas. noui tibi inesse studium legendi. et implendi ea quę legis* &c. Ita porro hortatur ad humilitatem, obedientiam, continentiam in visu, sermone et vestitu cum discretione jungendam, compunctionem, orationem, pugnam contra vitia, lectionem et patientiam, parum sane adposite ad *Monicae* aut aetatem aut conditionem. *Cap. ult.* prolixe *Theodosii* Imp. et *Ambrosii* Historia narratur, ut hoc exemplo liquidum fiat, nemini obesse peccatorum numerum ad veniam, concluditurque: *Ergo si gratia domini largiente bonum opus peregeris. et ea quę beatitudini tuę scripsi cuncta perfeceris. non tuis uiribus. non tuis meritis hoc tribuas. sed illi qui in te operatur et uelle et perficere pro bona uoluntate. cuique simul est honor et potestas et imperium* &c. Autorem in *PP. Bibliothecis* et alibi diligenter quaesitum tandem T. II. *Thes. Anecd. Pezii* P. II. p. 19. reperi. Est is, si Codici *Tegernseensi*, e quo Opusculum editum, major fides, quam nostro, *Adelberus* incertae sedis Episc. et Mater illa *Nonsuinda* Reclusa.

III.